



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

Titvlvs VI. De Renunciatione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**



pro conseruatione rerum Monasterij, ad obligandum res & redditus eiusdem Monasterij constituere valet; Nec Provincialis dictos Procuratores a conuentu legitime constitutos reuocare, nec Prælati electionem Procuratoribus illis non vocatis facere potest.

## DECISIO XIII.

Ex consil. 12. alias 3.

**G**eneralis, & Definitorum cum maiori parte Capituli in modum eligendi iure communi conformem, neque in toto neque in parte, absque expressa Papæ facultate, tollere possunt; quia nulli ei inferiori legem iuri communi contrariam edere licet, c. Quod super his, de maior. & obed. inferior. d. 4. Clem. Ne Romani, de elect.

## DECISIO XIV.

\* *U. L. in Nouis, deest in antiquis.*

**Q**uamuis Collegium ex duobus saltem constare debet, c. Cum inter Canonicos, de elect. in tali tamen eorum exteriorum solum eligere possunt; siquidem ut electio valeat, a maiori parte fieri debet, c. Cum inter canonicos, & c. quia propter, de elect. ubi autem duo tantum essent in Collegio, quia nec quis seipsum eligere valet, nec suffragando alteri maior pars suffragiorum adesset, ut electio ab eis validè fiat, extraneus idoneus eligi debet.

## TITVLVS VI.

De Renunciacione.

## S V M M A R I V M.

1. Renunciatio beneficij facta coram Notario sine prælati auctoritate est nulla.
2. Confidentia præsumitur, siquid renunciatus post collationem ex beneficio percipiet.
3. Beneficium in manibus Papæ resignatum, per eius provisionem subsecutam fit resignatarij.
4. Publicationis omisio, quando resignationem annullat.
5. Episcopus renunciatus, qui vegetus est, & usus esse potest peccat.
6. Renunciatio reciproca, & illicita, quæ censetur?
7. Renunciatio beneficij facta virtute mandati reuocati, sed non intimati procuratori, valida est.
- \* 8. Renunciatio episcopatus sine licentia Papæ perita, sed non obtenta, non valet.
- \* 9. Beneficium resignatum Episcopus proinquo resignantis conferens, a collatione beneficiorum suspensus est.
10. Resignatio beneficij per procuratorem absentis facta in manibus Papæ admittentis, quidnam operetur?

## DECISIO I.

Ex consil. 1. in antiquis, alias 3. in Nouis.

**R**enunciatio beneficij coram Notario, & testibus sine superioris licentia, facta, ipso iure nulla, & inualida est. Quod in dubijs, & c. admonet, de renunciat.

## DECISIO II.

**R**enunciatus beneficium coram Ordinario nulla facta confidentia expressa, & aliquos fructus beneficij a renunciatio postea ob paupertatem accipiens, quamuis in foro conscientie non sit peccati arguendus si nulla fraus interuenit, in foro tamen exteriori interuenisse confidentiam præsumitur. Ita Pius V. in Bulla contra confidentarios, quæ incipit, intolerabilis, edita anno 1569. Constit. 87.

## DECISIO III.

Ex consil. 2. alias 7.

**R**esignatio beneficij a sano facta in manibus Papæ, per eius provisionem subsecutam fit resignatarij, nec illud alteri conferre potest ordinarius, etiam si resignans infra 20. dies in mense ordinarij moriatur, cum per talem resignationem, & provisionem vicè vacauerit beneficiū,

& collatum fuerit resignatario; Et Reg. 1. Cancellarie de infirmo resignante, non de sano intelligenda est.

## DECISIO IV.

Ex consil. 3. alias 8.

**O**btinens a Papa beneficium per resignationem, & expeditis literis ad imperium patris, & ad euitandam discordiam inter cognatos eius, & resignantis, ultra sex menses resignationem publicare, & possessionem capere omittens, nec beneficium obtentum perdit, nec fructus perceptos restituere tenetur; eo quod lapsus sex mensium præscriptorum ad publicandas resignationes, & beneficij resignati apprehensionem, saluo iusto impedimento intelligi debet, cum agere iuste impedito non curat tempus. Quia diuersitatem, de concess. præb. & capit. Ex transmissa de præser. Et patris obedientia ad euitandam discordiam ex publicatione euidenter fecuratur, iustum censetur esse filio impedimentum, maxime cum ex ea dilatione nulli fiat præiudicium.

Quoad modum & formam publicandi beneficiorum resignationes, legenda est Bulla Gregor. XIII. quæ incipit, *Humano viro*, & est 87, in ordine eiusdem, edita anno 1583, Nouis Ianuarij.

## DECISIO V.

Ex consil. 4. alias 2.

**E**piscopo renunciare Episcopatu, & dignitati, qui coram, & animi viribus satis adhuc vegetus est, & magno cum fructu, concionando, prælegendis, & consulendo, & Sacramenta ministrando prodesse potest, sine peccato, non licet, ut contemplationi quietis dare se possit, c. 1. & c. Nisi cum pridem, de reuoc.

## DECISIO VI.

Ex consil. 5. alias 10.

**R**ector resignans sine vlla reservatione rectoriam suam in fauorem alterius, qui est filius alterius Rectoris, qui post aliquot annos renuntiat aliam suam Rectoriam in fauorem filij primi Rectoris reseruata pensione medietatis fructuum, non censetur renuntiationem reciprocam, & a Concilio Tridentino sess. 25. cap. 15. de refor. damnatam admississe; eo quod nullum ibi interuenit pactum aut conuentio tacita vel expressa resignationis vnus in fauorem alterius, & è contrario; sed solum patet renuntiationem resignauit, ut iure naturali gratitudinem suadeante, & obligationem antidotalem inducente, amico suo benemérito ostenderet. Ita Nau. in Manu. c. 23, nu. 107, & 116.

## DECISIO VII.

Ex consil. 7. alias 11.

**R**enunciatio beneficij virtute mandata reuocati, dum modo reuocatio procuratori ipsius renunciatis ad renunciandum non sit intimata, neque ei, in cuius manibus erat facienda renunciatio, valida est; nec sufficit illius reuocationis notitia ad eum, in cuius fauorem renunciatio facienda erat, venisse, sed requiritur, ut reuocatio illa procuratori renunciatis intimata sit, ad hoc ut renunciatio per Procuratorem facienda nulla censetur, Clem. 1. de reuoc. & g. ibi.

## DECISIO VIII.

\* II De renunciat. in Nouis deest in antiquis.

**E**piscopatus sine licentia Papæ etiam perita, sed non obtenta renunciatio non tenet. Arg. c. si de reuoc. & c. licet, de reg. iur. etiam si in manibus Capituli fiat, ad quod electio spectat, nec causat vacationem, nec etiam aperit, ut ad electionem procedi possit; si tamen ob talem renunciacionem inualidam, & nullam, Capitulum ad vltiorem electionem procedat, ipso facto eligendi potestate non priuatur, cum id nullibi expressum in iure sit; priuationis autem poena, non nisi in casibus a iure expressis incurritur. Glo. in c. fin. de iur. pat. Quia tamen crimen in admittendo est a summo Pontifice priuari potest. Sicut a simili, licet simoniacus conuentionalis tantum, & non realis.



perdit ipso iure in sibi quaesitum per collationem, eo tamen propter tale delictum iuste priuari poterit, ex Nau. in Man. c. 23. nu. 501. & 102.

DECISIO IX.

De Renunciat. in Nouis, deest in antiquis.

**E**piscopus beneficium resignatum propinquo alicuius resignantis conferens a collatione beneficiorum suspensus est ex Extra. Quanta. & Pij V. constituto. 58. anno 1568. edita. Quod si sic suspensus conferat, excommunicationem incurrit; immo etiam si sic ligatus in Pontificalibus, vel minoribus ministris, irregularis efficitur, nec ab alio, quam a Summo Pontifice ab huiusmodi excommunicatione, & suspensione absolui, vel ab irregularitate dispensari potest. Sed & sic secundo prouisus, quauis in foro interiori a peccato mortali suscipiendi beneficium, & retentionis illius, necnon perceptionis, & restitutionis fructuum excusari possit, si vere Extravagantem illam ignorauerit, ita ut nec illud praetextu ignorantiae huiusmodi constitutionis a praefatis peccatis non excusatur; quia in hoc foro semper scientia illius Constitutionis praesumitur. Arg. c. ignorant. de reg. iur. in 6.

DECISIO X.

De Renunciat. in Nouis, & in antiquis.

**R**esignatio beneficij per procuratorem absentis facta in manibus Papae admittentis, et si id regulariter operetur, ut iure communi attento beneficium illud a solo Papa, & non ab ordinario resignatis conferri possit; si tamen antequam resignatio ea facta fuerit in manibus Papae, ipsemet beneficiarius beneficium illud in manibus ordinarij admittentis resignat, valida erit resignatio haec in manibus ordinarij facta, nec collatio postea a Papa facta valebit, quippe qui iam per priorem resignationem in manibus ordinarij factam beneficium suum & ius omne, quod in eo habuit, amiserat: sicut e contra, si resignatio prius in manibus Papae facta fuisset, & ab eo admissa, quam in manibus ordinarij, renunciatio postea in manibus ordinarij facta non valebit: eo quod beneficium illud sic per procuratorem in Curia resignatum Papae reseruatum fuit c. 2. de praeb. in 6. ordinarius autem beneficia in Curia vacantia, seu Papae reseruata, conferre nequit.

TITVLVS VII.

De Temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum.

S Y M M A R I V M.

- 1 Parochus ad sumendos ordines impeditus, ut re stituendus.
- 2 Praedicare non est actus sacri ordinis.
- 3 Prelatus Collegiata nullo iure, nisi monitus, ordinari tenetur.
- 4 Prelatus Collegiata inferuendo episcopo a residentia excusatur.
- 5 Episcopus quoscumque ad curam animarum exercendam constitutos, de eorum inhabilitate examinare, & visitare potest.
- 6 Episcopus in dubio ordinare voluisse praesumitur.
- 7 Intentio Ministri in Sacramentis conscientialis est necessaria.
- 8 Intentio contraria protestationi in ordinibus conferendis praeualet.
- 9 Characteris ordinis impressionem duo tantum defectus impediunt, & qui nam illi sint.
- 10 Haereticorum liberi qui promoueri nequeant.
- 11 Ordines qui male sumpti, quomodo resumere debeat.
- 12 Ordinari ut possit quis in loco domicilij quid requiratur.
- 13 Filius familiaris pubes domicilium suum constituere potest.
- 14 Prima tonsura non est ordo, & ea insignitus quid medium est inter laicum, & clericum.
- 15 Titulus, ad quem quis ordinatus est, alienari non potest.
- 16 Ordinarius sacris sine titulo, quando est suspensus, & quando ab Episcopo attendat.

- 17 Ordinatus sine titulo quis pens.
- 18 Diaconus ad titulum patrimonij ordinatus, & eo renunciato presbyter factus, non est suspensus, cum renunciatio illa nulla fuerit.
- 19 Ordinatus accipiens intentione illos accipiendi, licet cum aliquo etiam scrupulo non accipendi, verum ordinem accipit.
- 20 Ordinatus ad titulum patrimonij, quod mentitus est habere, sufficiens si defectus sit notabilis, est suspensus.
- 21 Capitulum Sede vacante infra annum Reuerendas dare non potest.
- 22 Ordinatus Minoribus de licentia Capituli Sede vacante, nullo privilegio gaudet.
- 23 Ordinare non potest Episcopus sibi non subditos, nisi de consensu episcopi loci.
- 24 Ordinarius religiosorum est prelatus, & ad ordines suscipiendos dimissorias dat.
- 25 Abbas dans dimissorias non suo subdito est suspensus.
- 26 Episcopus familiarem ordinans, si a iure beneficium conferre tenetur.
- 27 Ordinatus sine licentia Minoribus, non est suspensus, nec beneficij priuatus.
- 28 Episcopus in ordinando familiarem triennale, super interstitijs dispensare nequit.
- 29 Episcopus licet ordinare possit suum familiarem triennale, non potest tamen cum eo illegitimo dispensare.
- 30 Episcopus dimissorias concessas reuocasse non censetur, ex eo quod postea dixerit ordinando, ne ab alio ordinaretur, quia ipse volebat ordines tenere, & eum ordinare.
- 31 Patrimonium, ad cuius titulum quis ordinatur, licet debeat esse in immobilibus, & non in mobilibus, non tamen ob id incurritur pena.
- 32 Episcopus laicum alienum ordinare non potest, sine licentia proprii ordinis tamen collatio facta valet.
- 33 Concilij Trid confirmatio quo anno facta sit.
- 34 Capitulum Sede vacante cum illegitimis ad ordines Minoribus dispensare potest, sicut episcopus poterat.
- 35 Episcopo consentienti ut quis ab alio ordinetur, non fit praesudicium.
- 36 Beneficij collatio post irregularitatem facta, est nulla, nec per Cruciatam, aut Iubileum talis irregularitas tolli potest.
- 37 Ordinis sacri iteratio, irregularitatem inducit.
- 38 Massa celebranda cum duo de iure interesse debent, sardaster vix sine peccato presbyterio insignitur.
- 39 Homicida sine dispensatione ordinandus non est.
- 40 Commissio ad dispensandum, nisi ea secuta, nihil operatur.
- 41 Irregularis celebrando peccat, sed non fit noue irregularis.
- 42 Illegitimus irregularis est, sed non suspensus, & quare.
- 43 Ordinatus metu conditionali, vere ordinatus est.
- 44 Renunciatio tituli ab ordinario facta ipso iure est nulla.
- 45 Episcopus ab omni suspensione a iure lata, & Papa non reseruata, absolueri potest.
- 46 Ordinatus ad titulum parochialis ante aetate obientia, nec suspensus, nec irregularis est.
- 47 Suspensus, vel irregularis licet ad beneficia obtinenda inhabilis sit, antea tamen obientia per censuram, vel irregularitatem superuenientem non perdit.
- 48 Concilium Trid. cap. 4. Sess. 22. de reform. qualitates in beneficiario potentia, & non actu requirit.
- 49 Collatio beneficij requirentis actu ordinem, facta non habet illum est nulla.
- 50 Pena ordinari sine titulo in penam ordinantis mutata, quando habeat locum.
- 51 Ordines suscipere, interstitijs non seruatis, de licentia episcopi licet.
- 52 Licentia assumendi ordines morte concedentis non expirat.
- 53 Suspensus non est, ante iustam aetatem bona fide ordinatus.
- 54 Irregularitas ex mala ordinatione non potest dici ex occulto delicto nata nec super ea episcopus dispensat.
- \* 55 Gallus sacris ante legitimam aetatem ordinatus, an suspensus sit?
- \* 56 Ordinatus interstitijs non seruatis, nec suspensus, nec irregularis est.
- \* 57 Ordines duos sacros eodem die assumens, suspensus & irregularis est.
- \* 58 Ordinatus sacris sine legitimis dimissorijs suspensus est, & si sic